Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. II. Pars II.
Wien, 1800 Seite 1531
Quelle:
Copyright:

p. 292. inſcribitur Μακαρισμοι ἑτέροι; jam enim p. 282. aliae *Beatitudines* praecedunt, unde adparet Tituli noſtri ratio. Ineunt: Μακαριος ὃς μισησας κατελιπε τον βιον τουτον &c. et in graeco longius procurrunt; nam Codex noſter fiſtit ibi: τοις θελουσι μετα χαρας ἀπεραχεσθαι προς τον πατερα των φωτων, nobis: *qui deſiderauerint ad patrem luminum peruenire.*

Fol. 133. *Incipit liber III. de penitentia.* Ita dictus etiam *Vincentio* et *Trithemio.* Legitur edit. *Rom.* T. I. p. 148. Περι Μετανοιας. Graece: Ὁ κατελθων Κυριος ἐκ του κολπου του Πατρος &c. Nobis: *Dominus noſter Jeſus Chriſtus qui deſcendit de ſinu Patris* &c. Ad calcem: *Explicit liber II. de compunctione.* Ita labant Rubricae noſtrae.

Fol. 136. p. 2. *Incipit III*[a] *de luctaminibus.* Jam a *Vincentio* et *Trithemio* memoratus init: *In luctaminibus huius ſeculi nullus ſine agone* &c. Graece nondum repertus, e noſtra antiqua Verſione proſtat edit. *Rom.* T. III. p. 557.

Fol. 139. p. 2. *Item liber efrem de die iudicij. liber* V. Pariter notus *Vincentio* et *Trithemio.* Ejus initium: *Venite dilectiſſimi fratres exhortacionem meam ſuſcipite, et ſemper mementote conſilij* &c. Graece edit. *Rom.* T. II. p. 50. Δευτε παντες ἀδελφοι, ἀκουσατε συμβουλης &c. Titulo Περι Κρισεως και Κατανυξεως.

Fol. 144. *Incipit eiusdem ammonitio per quam docemur. ut cogitationes turpes debeamus fugere. et eas que ſancte ſunt cum dei adiutorio in corde ſeruare.* Simplicius *Trithemius Homiliam de Cogitationibus* adpellat. Non comparet in Editione *Rom.* Init vero: *In Scripturis ſanctis fratres kariſſimi legimus, quia eos, qui de animę ſalute ſolliciti ſunt, cogitatio ſancta cuſtodiat.* &c. Nimis faciles fuiſſe Majores noſtros in augendo Scriptorum *Caeſarii Arelat.* numero, ſaepe mihi ſubiit, omnibusque *Sermonibus* ſeu *Homiliis* vagis et ἀδεσποτοις liberale apud Eum paratum hoſpitium. Ita praeſens noſtra ad eum delata videtur; legitur enim cum in *Bibl. PP.* tum T. V. *Opp. Auguſtini* edit. *Maur.* in *Append. n.* CCCXIII. *col.* 525. Seculo autem XII. ut vides, jam ante *Trithemium Ephraemo* tributa eſt. Nec obſtant Loca παραλληλα ex aliis *Caeſarii* Sermonibus ab Editoribus *Maur.* in margine notata; nam potuit uti *Caeſarius Ephraemo*, quo ducentis paene annis fuit poſterior.

Fol. 146. *Ammonitio per quam ſuadetur ut omnis populus donec diuina miſteria celebrantur in eccleſia expectent.* Initium: *Rogo vos fratres kariſſimi. & per eternam pietatem* (paterna pietate) *commoneo. ut quociens aut in die dominico* &c. Iterum inter *Caeſarii Sermones n.* LXXX. et in *Append. cit. col.* 468. Expende, quae mox dixi; nam et Textus in Codice ab eadem manu decurrit, et τὸ *Surſum Corda* e Liturgia latina depromtum nihil evincit, cum in graeca eodem modo dicatur: Ἄνω τας καρδιας.

Fol.